Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 621
Quelle:
Copyright:

novefae, *Authonienſem* in *Flandria*, tum *Laudunenſ.* Canonicum et Epiſcopum, qui *Petri Abaelardi* adverſarius et *Hugonis a S. Vict.* amicus obiit a. 1174. Initium: *Nuper de pariſius ueniens. dominus Arnolfus. ſagienſis archidiaconus. ſocius et amicus noſter cariſſimus* &c. De hoc viro poſtea ab an. 1141. ad an. 1177. Epiſcopo *Lexovienſi* adi *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. I. p. 142. Argumentum Epiſtolae, ut ejus verbis utar: *Utrum anima quam in perſona chriſti aſſumſit diuinitas. tantam habeat penitus ſcientiam et ſapientiam, quantam habet diuinitas.* Adſerebat *Hugo.* Negat *Walterus.* Produxit eam in lucem primus *Hugo Mathoud* O. S. B. in *Obſervatt. ad Libb. Sententiar. Rob. Pulli, Pariſ.* 1655. p. 332. f. *nobiliſſimum Antiquitatis fragmentum* compellans. Inde *Caeſ. Egaſs. Bulaeus* T. II. *Hiſt. Univ. Pariſ.* p. 64. retulit, uterque quidem autorem *Guilelmum* pro *Gualtero* nominantes, litera G. initiali in *Cod.* ſuo, ut videtur, decepti. Quin *Bulaeus* pro *Guillelmo de Mauritania* contra *Gualterum* arguit ex eo, quod hic junior fuerit, quam ut ejusmodi Tractatus ſublimes cum *Hugone Victorino* conferre potuerit. Verum neque aetas repugnat, ſi demus *Gualterum* ſexagenario majorem obiiſſe, et *Codices* bini aperte *Gualteri* nomen praeferunt, *Lipſienſis* ſcilicet *Bibl. Paul.* excitatus a *Joach. Fellero* in *Catal.* p. 147. et *Laetienſis* in *Hannonia* Abbatiae Opuſculum *Hugonis Vict. de Anima Chriſti*, quo is *Gualtero* reſpondit, continens, cujus *Prologum* dedit *Oudinus* T. II. col. 1145. quem, ut ait, ultima editio *Rothomagenſis Opp. Hugonis Vict.* facile obtinere potuiſſet, ſi, quod ipſa mentitur, cum Mſs. Codicibus collata fuiſſet. Quae verba non niſi dormitanti excidere potuere, cum *Prologus* hic omnibus, qui oculos habent et vident, *editionis* culpatae T. III. p. 48. in promtu ſit. De *Epiſtola* porro noſtra obſervo, variare illam hinc inde a ſupracit. *Mathuldi* editione, ut vel ipſum docet exordium, levius tamen. Itaque unum duntaxat locum noto. *Pag. 333. col. 1. D.* legit *Mathuldus: cum in deo nulla poſſit omnino eadem miſeria*, et quia nullum id habere ſenſum advertit, in margine addidit: *eſſe.* Sanatus eſt locus, ubi cum Noſtro *cadere* pro *eadem* repoſueris.

V. *fol.* 173. Poſt breves quasdam de Materiis variis theologicis notulas reditur ad *Petrum Abaelardum*, ita: *Hę ſunt hereſes petri baylardi pauce de multis.* Initium: *Quod pater ſit plena potentia. filius quedam potentia. ſpiritus ſanctus nulla potentia* &c. *Octodecim* illa *Capitula* haec ſunt in *Abaelardi* Scriptis a *Bernardo*, ſi, ut ait *Amboeſius* in *Praef. Apologet.* ſuprac. credere fas eſt, reperta et ad *Innocentium* II. miſſa, quibus *Abaelardus* in *Epiſtola* ſupra N. II. relata calumniae notam impingit. Inſeruit ea dictae *Praef. Amboeſius*, ſed minus exacte;